



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

VIII. Episcopi Massiliensis, qui de alterius episcopi caede gratulatus dicebatur, causa episcopis delegata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

episcopi fiant, institutum videatur esse collegium.

V.

Dist. 61.
Nullus in-
iuris detur.
Dist. 65
Cleri, ple-
bis, & or-
dinis.

Nullus inuitis detur episcopus: cleri, plebis, & ordi-
nis consensus ac desiderium requiratur. Tunc alter de
altera eligatur ecclesia, si de ciuitatis ipsius clericis, cui est
episcopus ordinandus, nullus dignus, quod euenire non
credimus, poterit reperiri. Primum enim illi reprobandi
sunt, vt aliqui de alienis ecclesiis merito præferantur.
Habeat vnusquisque clericorum suæ fructum militiæ in
ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem.
In aliena stipendia minime alter obrepat: nec alii debi-
tam sibi alter audeat vindicare mercedem. Sit facultas
clericis renitendi, si se viderint prægrauari: & quos sibi
ingeri ex transuerso agnouerint, non timeant refutare.
Qui etsi non debitum præmium, vel liberum de eo, qui
eos rectorus est, debent habere iudicium.

VI.

Leuit. 21.
1. Tim. 3.

Abstineatur etiam ab illicitis ordinationibus. Nullus
ex laicis, nullus digamus, nullus qui sit viduæ maritus,
aut fuerit, ordinetur: sed irreprehensibilis, & qualem e-
legit Apostolus fiat. Per Moysen Dominus præcepit:
Virginem accipiat sacerdos uxorem. Subsequitur & supplet
Apostolus, eodem locutus spiritu, vnus vxoris virum de-
bere episcopum consecrari. Ad hanc ergo eligantur for-
mulam sacerdotes: & si quæ factæ sunt ordinationes il-
licitæ remoueantur, quoniam stare non possunt: nec dis-
cussionem nostram subterfugere poterunt, quamuis la-
tere se æstiment, qui taliter peruenerunt. Vt nulla religio-
nis reuerentia obscuritate fuscetur, non sit vana gloriatio
palliat: episcopalem morem qui episcopi sunt sequan-
tur.

VII.

Daniel, vt diximus, qui accusationem pontificali ho-
nore subterfugere posse se credidit, & ad fastigium tan-
tum accusatores suos latendo peruenit, a sanctitatis ve-
stræ cœtu interim se nouerit segregatum: qui se nostro
iudiciò debet obiicere, si conscientia suæ nouit confi-
dentiam se habere.

VIII.

Massiliensis vero ecclesiæ sacerdotem, qui dicitur,

quod dictu nefas est, in necem fratris sui taliter gratulatus, ut huic qui eius sanguine cruentatus aduenerat, portionem cum eo habiturus occurreret, vestro eum audiendum collegio delegamus. Data VIII. Kalendas Augustas, Flauis Felice & Tauro v. c. consulibus.

NOTA.

^a *Epistola.*] Narbonensis & Viennensis ecclesiarum in Gallia status turbatus erat. Emerferant enim nouatores quidam, qui in vestitu clericorum nouum usum inducebant, nempe ut incederent palliati, renibusque præcincti, eo quod Dominus in euangelio suos admonuisset, dicens: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucerna, &c.* Hos Cælestinus hac epistola reprehendit, vetuitque ne nouus atque diuersus ab eo, qui hætenus vsui fuisset, habitus clericorum induceretur, sed illum, quem a maioribus accepissent, retinerent, nec a peregrinis clericis peregrinum usum vestium acciperent; quod moribus quam vestimentis sacerdotalem decorem præ se ferre magis præstaret. Eisdem etiam redarguit, quod petentibus in fine vitæ poenitentiam negarent: nec non quod ad sedem episcopalem laicos & criminosos prouexissent, & quemdam Danielem contra ius ad episcopatum promouissent. Baronius anno 428. num. 17.

Narbonensis & Viennensis ecclesiarum status vnde turbatus fuerit?

EPISTOLA III.

CÆLESTINI PAPÆ I.

AD EPISCOPOS APVLIÆ ET CALABRIÆ.

- I. *Quod nulli sacerdotum liceat episcopos ordinare. Canones ignorare.* III. *Quod docendus sit populus, non sequendus.*
 II. *Quod non oporteat, clericis ecclesiarum contemptis, de laicis*

Cælestinus vniuersis episcopis per Apuliam & Calabriam constitutis.

I.

NULLI sacerdotum suos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod patrum possit regulis obuiare. Quæ enim a nobis res digna seruabitur, si decretalium norma constitutorum, pro aliquorum libitu, licentia populis permessa, frangatur?

Dist. 38. Nulli sacerdotum liceat. Canones clericis cognoscendi.

II.

Audiuimus quasdam propriis destitutas rectoribus ciuitates episcopos sibi velle petere de laicis, tantumque

De laicis non sunt episcopi.

Ppp iij